DE

HYMNO IN CEREREM HOMERICO.

PARS PRIOR

DE HYMNI COMPOSITIONE.

DISSERTATIO

QUAM SCRIPSIT

ET

PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS

OBTINENDIS

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM

ORDINI

IN UNIVERSITATE LITTERARUM JENENSI

PROPOSUIT

GUSTAVUS GEMSS

SILESIUS.

BEROLINI 1872.

TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE (OTTO FRANCKE).

Marienstr. 10.

De hymno in Cererem homerico disserenti id mihi propositum est, ut primum de compositione quaeram, deinde vero carminis sermonem et argumentum considerem, ut his quaestionibus institutis quo tempore totum carmen vel maior pars orta sit accuratius et distinctius cognoscere possimus. Multa quidem his de rebus a viris doctissimis scripta sunt; attamen cum alii aliunde has ad quaestiones progressi sint aut singulas res tractaverint, quid de toto hymno iudicandum sit mihi nondum satis explicatum esse videtur.

Priusquam vero hanc ad quaestionem me conferam, quae mea sit sententia de carminibus illis, quae hymni homerici nominantur, breviter exponam. Quae carmina, si ad formam eorum et argumentum spectamus, duo in genera discedunt, in hymnos minores et maiores. Ut ab illis quidem incipiam, haec carmina paucis verbis invocationem cuiuslibet dei vel deae continent eique usui inservisse videntur, ut a rhapsodis maioribus partibus vel ex homericis vel ex aliis operibus sumptis praefigerentur et praecantarentur; hunc ad usum spectant hymni VI, IX, X, XI, XII, XIII, XIV, XV, XVI, XVII, XVIII, XIX, XX, XXI, XXII, XXIII, XXV, XXVI, XXVII,

XXVIII, XXIX, XXX, XXXI, XXXII, XXXIII: hymnus vero VIII ex Orphicis hoc in corpus irrepsit, cum forma eius et conditio propius ad Orphicos accedat. De hymno autem XXXIV, qui in editionibus ultimo loco collocari solet, certa iudicare non possumus, cum fragmenta modo supersint; at si respicimus eum in cod. *M*, in quo uno servatus est, hymno in Cererem praefixum esse et hymnos maiores minoribus antecedere, quin in horum numero referendus sit non dubium est. Omnes hi hymni vel eandem vel similem habent clausulam, qua deus aliquis invocatur, ut vati propitius sit, qui ab eo incipiens aliud ad canticum progressurus est. Praeterea ambitus eorum brevior est, quam ut per se carmina iusta sint. Plane aliter autem res se habet de hymnis maioribus, quo in numero referendi sunt hymni I, II, III, IV, V, fortasse etiam VII, cum forma eius propius accedat ad maiores, quamquam semper minoribus assignatur. Quamvis enim eadem terminentur formula atque hymni minores, tamen ambitus eorum maior est, quam ut exordia singularum partium aliorum carminum esse potuerint. Accedit quod argumentum quoque et tota indoles plane diversa est a minoribus; hymnis enim minoribus deus invocatur eiusque virtutes enumerantur, maioribus res gestae uberius copiosiusque enarrantur. Quae cum ita sint, non procul a vero aberrare videmur, si hymnos maiores per se carmina iusta habendos esse putamus, quae non aliorum carminum parvis partibus, sed aliis totis carminibus praecantata sunt. Hoc modo apparet, quo iure Thucydides (III, 18) hymnum in Apollinem Pythium prooemium nominet. His enim

cantibus diebus festis certamina musica a rhapsodis inchoabantur ita ut hi hymnum canerent in eum deum, cuius ad honorem illa agebantur, priusquam ea carmina canebant, quae his diebus cani solebant.

At nescio an ad certam rectamque sententiam de hymnorum consilio pervenire possimus, si unde derivanda sit vox quae est ὕμνος cognoverimus. Et magna quidem orta est contentio, cum alii ex vulgari usu eam a verbo ὕδειν, quod idem est atque ἀείδειν, ductam esse putent, alii cum voce sanscritica „sumna", i. e. laus vel honos, conferant primamque notionem laudis tribuant. Rectissima autem mihi ea originatio esse videtur, quam Doederlinus primus breviter tantum proposuit, Aufrechtius (Kuhn's Zeitschrift für vergleichende Sprachwissenschaft IV. 274), Curtius (Grundzüge der griechisch. Etym. ed. III p. 278), Baumeisterus (Hymni homerici. p. 100) probaverunt. Aufrechtius enim vetustissimum usum vocis quae est ὑφαίνεσθαι diligenter examinans voces „ὕμνος" et „ὑμνεῖν" hac ab stirpe deductas esse contendit, ita ut ὕμνος primum significet textum, deinde carmen, denique notione in arctiorem gyrum pressa carmen ut ita dicam laudatorium. Quam sententiam rectam esse ex eo quoque cerni potest, quod hoc tantum modo notiones verbi quod est ὑμνεῖν bene apteque derivari possunt. Passovius enim, qui huic verbo primam significationem praedicandi vel laudandi tribuit, ut illos locos explicet, ubi non bene dicendi sed male dicendi sensus inest, non nullis determinationibus certis additis notionem nasci posse contendit, quae plane aliena et contraria sit origini. Quae sen-

tentia ab omni linguarum ratione et lege longe abhorret. Omnes autem difficultates facile solvuntur, si Aufrechtium sequimur et primam notionem verbo *ὑμνεῖν* carmina componendi vel canendi tribuimus; ex ea facile omnes aliae profluunt. Nam cum „canere“ vox sit media, quae si quid certius additur vel meliorem vel peiorem sensum praebet, et bene dicendi et male dicendi vim habere potest.

Si igitur hanc originationem tenemus, vocem quae est *ὕμνος* antiquissimis temporibus de omnibus carminibus usurpatam esse videmus: qui usus etiam de hymno in Cererem valet, quo de raptu Proserpinae, de Cereris luctu, de Proserpinae reditu uberius narratur.

Vocis quae est *ὕμνος* notione explicata non supervacaneum esse puto, etiam de hymni traditione nonnulla afferre. Pauca vero sunt vestigia, quibus hymnum in Cererem antiquis temporibus notum fuisse apparet. Et Pausanias quidem in descriptione Graeciae quatuor locis (I, 38, 3. II, 14, 2. IV, 30, 3. VIII, 37, 6.) et hoc carmen appellat et versus nonnullos laudat. Porro in scholio ad Nicandri Alexipharmaca v. 130, in quo Iambes historia enarratur, legimus: *ἐν τοῖς εἰς Ὅμηρον ἀναφερομένοις ὕμνοις*. Maioris autem momenti est illud testimonium Philodemi *περὶ εὐσεβείας* (p. 42, 12. ed. Gomperz), qui versum 440 his verbis commemorat: *Ὅμηρος δ᾽ ἐν τοῖς ὕμνοις πρόπαλον καὶ ὀπάονα* sc. *τῆς Δήμητρος Ἑκάτην λέγει.* Inde ab illo tempore nusquam commemoratur, donec anno 1780 Moscoviae liber manu scriptus inventus est, quo continetur. Mirum autem

in errorem L. Prellerus in libro suo[1]), quem de Cerere et Proserpina scripsit, incidit; dicit enim vir doctissimus in adnotatione 77 (pag. 109): Praeter locos supra commemoratos etiam Schol. Hephaest. p. 87 (edit. Pauw.) hymnum in Cererem homericum laudat, qui de Iamba locutus pergit: *μαρτυρεῖ δὲ τῷ λεγομένῳ Ὅμηρος ὁ σοφώτατος.* At quid affert scholiasta? Verba ipsa hic ponam, ut error dilucidius intellegatur: *ἰαμβίζειν ἔλεγον οἱ παλαιοὶ τὸ ὑβρίζειν, ὅπερ ἐστὶ καὶ πικρίας ἀναμεστὰ ῥήματα λέγειν· ἢ ἀπὸ Ἰάμβης καλουμένης κόρης, ἥτις αἰσχρῶς ὑβρισθεῖσα ἀγχόνῃ κατέλυσε τὸν βίον, ὅπερ καὶ αἱ Λυκαμβίδες ἐπὶ τοῖς Ἀρχιλόχου ποιήμασι. Καὶ διὰ τοῦτό φασι συντεθῆναι τὸν ἴαμβον ἐκ βραχείας καὶ μακρᾶς διὰ τὸ τὴν ὕβριν ἐκ βραχείας ἀρχομένην αἰτίας εἰς μέγα λήγειν κακόν. Μαρτυρεῖ δὲ τῷ λεγομένῳ Ὅμηρος ὁ σοφώτατος:*

ἥτ᾽ ὀλίγη μὲν πρῶτα κορύσσεται, αὐτὰρ ἔπειτα
οὐρανῷ ἐστήριξε κάρη καὶ ἐπὶ χθονὶ βαίνει.

Cum autem hi versus desumpti sint ex Iliade (IV, 442. 443), nulla mentio hymni illi loco inest. At etiam si negandum est hymnum in Cererem hic laudari, tamen eum scholiastae non ignotum esse, quamquam distinctis verbis non commemoratur, ex alio loco (p. 169 ed. Pauw.) elucet. Videmus enim haec: *Ἐκλήθη δὲ οὕτως ἢ ἀπὸ Ἰάμβης τῆς Κελεοῦ θεραπείνης, ὅτι ἡ Δημήτηρ περίλυπος οὖσα ἐπὶ τῇ ἁρπαγῇ τῆς ἑαυτῆς θυγατρὸς καὶ πλανομένη παρεξενώθη τινὶ ὀνόματι Κελεῷ καὶ τῇ*

---

[1]) Demeter und Persephone; ein Cyclus mythologischer Untersuchungen. Von Ludwig Preller. Hamburg 1837.

αὐτοῦ γαμετῇ Μετανείρῃ· καὶ τούτου ἡ θεράπεινα, ἡ καὶ Ἰάμβη καλουμένη, ὡς ἔφαμεν, παρεμυθήσατο τὴν Δήμητρα ὀρχησαμένη καὶ ᾄσματα ἐν τούτῳ τῷ ῥύθμῳ προενεγκοῦσα. Praeterea autem Eustathii narratio mihi videtur memoria digna esse, qui (ad Od. *Λ* p. 1684 = 435, 4) haec affert: *ὅτι δὲ καὶ ἱλαροί τινες ἥδοντο (ᾔδοντο?) ἴαμβοι δηλοῖ ὁ ἱστορήσας, ὡς Δημήτηρ λυπουμένη ἐπὶ ἡρπαγμένῃ τῇ Κόρῃ παρεξενώθη Κελεῷ καὶ τῇ γυναικὶ Μετανείρῃ ἐν τῇ Ἀττικῇ· θεράπεινα δέ τις Ἰάμβη παρεμυθεῖτο αὐτὴν ὀρχουμένη τοιούτῳ μέτρῳ.* His ex locis patet et scholiastae et Eustathio carmen bene notum fuisse, quamquam de auctoris nomine tacent; immo ex Eustathii verbo: *ὁ ἱστορήσας* concludi potest, illum hymnum Homero non tribuisse auctori, nisi forte putamus eum non ex hymno ipso, sed ex alio fonte, fortasse ex scholiis ad Hephaestionem hausisse[1]).

---

[1]) Ab Eustathio illa scholia non neglecta esse facile intellegi potest, si duos locos conferimus, qui paene verbo tenus conveniunt:

Scholion p. 87.	Eustathius ad Od. *Λ* p. 1684.
ἢ ἀπὸ Ἰάμβης οὕτω καλουμένης κόρης, ἥτις αἰσχρῶς ὑβρισθεῖσα ἀγχόνῃ κατέλυσε τὸν βίον, ὅπερ καὶ αἱ Λυκαμβίδες ἐπὶ τοῖς Ἀρχιλόχου ποιήμασιν. Καὶ διὰ τοῦτό φασι συντεθῆναι τὸν ἴαμβον ἐκ βραχείας καὶ μακρᾶς διὰ τὸ τὴν ὕβριν ἐκ βραχείας ἀρχομένην αἰτίας εἰς μέγα λήγειν κακόν. Μαρτυρεῖ δὲ τῷ λεγομένῳ Ὅμηρος ὁ σοφώτατος· Sequuntur versus ex Iliade (IV, 442 et 443) desumpti.	*καὶ κόρη δέ τις φασὶν Ἰαμβη αἰσχρῶς ὑβρισθεῖσα κατέλυσε τὸν βίον ἀγχόνῃ, διὸ καὶ ὁ παρωνομασμένος αὐτῇ ἴαμβος ἐκ βραχείας ὢν καὶ μακρᾶς αἰνίττεται ὡς καὶ ἀλλοχοῦ ἐρρέθη τὸ καὶ τὴν ὕβριν, ἧς εἶδος καὶ τὸ σκώπτειν, ἀπό τινος βραχέος αἰτίου ἀρχομένην εἰς κακὸν μέγα καταλήγειν, ζηλῷ τῆς Ὁμηρικῆς ἔριδος, ἣ ὀλίγη τὰ πρῶτα κορυσσομένη τέλος ὑψοῦται ὅπου φησὶν ὁ ποιητής.*

Videmus igitur, quam ignotus fuerit temporibus antiquissimis hymnus in Cererem, qui nostram ad memoriam uno tantum libro pervenit, qui anno 1780 Moscoviae in bibliotheca S. Synodi repertus nunc Lugduni Batavorum asservatur. Cuius formam et conditionem Mitscherlichius in praefatione editionis suae his verbis describit: „Scriptus est ex cel. Matthaei sententia „sub finem quidem sec. XIV, at e praestantissimo exem„plari ductus videtur. Singula folia binas columnas „habent, unde factum est, ut in illius folii laceri altera „parte postrema versuum verba exciderent, in altera „priora. — Exaratus vero est hymnus in Cererem in „codice statim post fragmentum hymni in Bacchum, „quod primum locum obtinet. Quod ideo monendum „duxi, ne quis hymnum in Cererem chartae explendae „causa, quod alias factum est, in fine temere adiectum „esse putet“. Primis codicis triginta paginis versus Il. Θ 435 — N 134 continentur, quibus adiectum est fragmentum hymni in Bacchum et hymnus in Cererem; sequuntur vulgari ordine hymni usque ad versum quarti hymni XVIII in Mercurium. Cuius libri cum eae paginae, quibus hymnus in Cererem continetur, Buecheleri cura tanta arte et diligentia expressa sint, ut ipsius codicis pares has tabulas habere liceat, omnes aliae collationes a Matthiaeo, Mitscherlichio, Schneidewinio institutae, quae quidem hunc ad hymnum pertinent, plane supervacaneae sunt.

Restat denique, ut lacunas, quas in codice Moscoviensi invenimus, colligam et perscruter, cum hoc tantum modo intellegere possimus, quo iure eae in hymno in

Cererem, ubi nulli alii libri nos adiuvant, statuendae sint. Et in hymno quidem in Apollinem Delium desunt versus 23 et sequentes usque ad versum 74, nullo spatio relicto; in margine autem manu satis antiqua notatum est: *λείπουσι στίχοι να̅.* Deinde versus 96 in c. M. non legitur, quem versum Baumeisterus sub textum ponit, praeterea desunt versus 136—138, qui etiam tribus in aliis codicibus non leguntur, in aliis in margine ponuntur. In hymno autem in Apollinem Pythium versum 54 ea de causa excidisse arbitror, quod cum et hic versus et qui praecedit similibus verbis determinentur, simili clausula adducti oculi eius qui scripsit aberraverunt. Videmus enim:

53. *ἔνθα νεοδμὴς πῶλος ἀναπνέει ἀχθόμενός περ*
54. *ἕλκων ἅρματα καλά· χαμαὶ δ'ἐλατὴρ ἀγαθός περ.*

Idem valet de versibus in hymno in Ap. Pyth. 360, h. in Merc. 136 et 499; cur in h. in Merc. 510, 218, 219, h. in Ven. vo. 68—113 exciderint, non liquet.

PARS PRIOR.
DE HYMNI COMPOSITIONE AGITUR.

CAPUT I.
DE HYMNI CONSILIO.

Priusquam de hymni compositione quaeram, quid de consilio huius carminis statuendum sit quaerere necesse est, quia hoc modo facilius intellegere possumus, utrum carmen integrum an aut lacunis aut additamentis depravatum ad nos pervenerit. Miro autem modo homines doctissimi inter se dissentiunt, cum alii hoc carmine institutionem sacrorum Eleusiniorum, alii Proserpinae raptum depingi contendunt. Equidem negare nolo, etiam quo modo mysteria Eleusina pervenerint narrari; attamen ut hac in descriptione summum carminis consilium positum esse credam adduci non possum. Etsi enim templi exstructio et caerimoniarum origo commemoretur, tamen tota descriptio exilior et ieiunior est, quam qua summa carminis contineatur. Praeterea multae res, quae summi sunt momenti, paucis modo attinguntur. Veluti Ceres se ipsam Eleusinios sacros mores docere velle dicit (v. 273 et 274) quibus animus suus placetur; at si re vera carminis auctor eorum originem depingere voluisset, certe hac in re diutius versatus esset neque in extrema parte

totius carminis (v. 474) a dea regibus Eleusinis teletas traditas esse breviter commemorasset.

Neque quod legimus v. 292

αἳ μὲν παννύχιαι κυδρὴν θεὸν ἱλάσκοντο

eodem referri potest, quamquam non desint qui hunc versum ad pannychida, diebus festis Eleusine actam spectare putent (Hermanni Antiquit. sacr. § 31. not. 6 et 7). Equidem hoc versu nihil aliud significari nisi Celei filias per totam noctem deam iratam mitigare conatas esse neque ullum sensum mysticum in eo inesse existimo; ritus enim solemnes, quibus placetur, postquam templum exstructum sit, se ipsam monstraturam esse dea pollicetur (v. 273). Neque minus errant, qui iam hoc in hymno illud novem dierum spatium, qui praetereunt, dum mystae se praeparant ad cyceonem bibendum respici contendunt; qui mos ex eo manavit, quod die decimo Ceres Eleusina advenisse et tum primum rursus cibo recreata esse putabatur[1]). Nihil autem hac de re invenitur; non illo die decimo, sed multo post deam Eleusina venisse ex versibus 93 et 94 elucet, ubi legimus:

ᾤχετ᾽ ἐπ᾽ ἀνθρώπων πόλιας καὶ πίονα ἔργα
εἶδος ἀμαλδύνουσα πολὺν χρόνον.

Novem autem dies, quibus Cererem omni cibo abstinuisse hymni auctor narrat (v. 47—50), ad illud temporis spatium pertinent, quo filiam raptam quaesivit, a nullo certior facta, quis filiam rapuisset.

---

[1]) Schoemanni Ant. graec. pars altera p. 374 et Prelleri Demeter et Persephone p. 89.

Quid vero de versibus 190—211, quibus mos cyceonis bibendi explicatur, statuendum sit, postea, de singulis versibus disserens, uberius exponam; quos postea additos esse iam Prellerus demonstravit. Apparet igitur hymni in Cererem consilium in origine sacrorum rituum describenda non positum esse, cum eorum aut nulla aut levis modo et exilis mentio fiat. Magis mihi arridet sententia eorum, qui hoc carmen ea de caussa conditum esse putant, ut raptus Proserpinae Cererisque errores ad filiam quaerendam succeptos secundum fabulam Eleusiniam describantur. Bene enim notum est has res, quae ad sacrorum originem spectant, pro variis regionibus variisque temporibus varie narratas esse, prout cuique urbi dea haec vel illa dona praebuerit, ita ut singulas civitates suas proprias fabulas haberent. Idem quoque de urbe Eleusine valet. Cum enim haec urbs cultu mysteriorum floreret, etiam hic certa de Cereris adventu fabula increbuerat, quae aeque atque aliis in locis arctissime cum raptu Proserpinae cohaerebat. Qua in fabula copiose exponenda summum hymni consilium positum esse nemo negabit, qui totius hymni et argumentum et formam accuratius spectaverit. Nam exordium poeta ab ea dea invocanda ducit, cuius filia iussu et voluntate Jovis ab Orco rapta est, nulla mysteriorum mentione facta, quae certe silentio praetermissa non essent, si hymni auctor eorum originem explicare voluisset (vv. 1—4). Copiosissime deinde raptus filiae describitur (vv. 5—38), copiosissime Cereris errores et luctus depinguntur (vv. 39—334) copiosissime denique Proser-

pinae reditus enarratur (vv. 334—490). Quod vero etiam sacrorum mysteriorum origo commemoratur (vv. 473—483), huius rei caussa ex eo deducenda est, quod ea in urbe Eleusine, ubi carmen sine dubio conditum est, maxime florebant atque secundum vulgarem opinionem a dea docta erant, cum filiam quaerens eo venisset. Nam ut aliis terris dea frumenta et leges tribuit, ita Eleusine mysteria docuit, quae non poterant praetermitti, cum Proserpinae raptus et reditus explicaretur.

Tota igitur ex carminis indole et argumento elucet, hymno homerico in Cererem nihil nisi Proserpinae raptum tractari; accedit autem tamquam additamentum necessarium originis mysteriorum descriptio, quae si summa esset totius carminis, valde miraremur, cur tam exilis et pressa esset.

CAPUT II.

DE HYMNI COMPOSITIONE AGITUR.

§ 1.

Sententiae virorum doctorum universe colliguntur et examinantur.

Ut de hymni consilio ita etiam de compositione homines docti miro modo inter se dissident, cum alii totum carmen in duas partes discindant, quarum utramque plane diverso tempore natam esse volunt, alii id integrum et eadem forma ad nos pervenisse contendant, quae ab auctore ei tributa est; nec desunt,

qui, cum pristinam formam vel resecando vel augendo vehementer mutatam esse putent, integrum carmen servatum esse negent. Ut igitur incipiam ab iis, qui non unum, sed duo carmina diversis temporibus condita in hymno in Cererem consociata putant, inprimis Matthiaei sententia digna est, quae accuratius perspiciatur et perpendatur. Mitto enim illas Ignarrae[1]) halucinationes, qui post Pausaniae aetatem carmen ita compositum esse arbitratur, ut hymni in Cererem homerici tunc deperditi fragmenta, quae apud illum et apud alios scriptores invenirentur, aliis versibus insertis sic intexta et solidata sint, ut unicum et continuatum opus oriretur, cui nomen homerici inscriptum est: quasi quis in litore ambulans scalmo reperto aedificare navem concupisset. Neque minus Ilgeni sententia[2]) silentio praetereunda est, qui ante Pausaniae aetatem — id quod oratione colore homerico splendente prodatur, — fragmentis hic illic collectis ex imitatione Pamphi et Homeri et fortasse Musaei totum opus consarcinatum esse existimat. Quae opiniones maioris sunt artis et subtilitatis, quam quae verae esse possint, et iam ea de caussa non sunt probandae, quod et idem dictionis color, paucis modo locis exceptis, per totum carmen conservatur neque ulli nobis occurrunt orationis hiatus vel res controversae, quae non deessent, si re vera totum carmen hoc modo ortum esset. Ut igitur redeam ad Matthiaei sententiam cognoscendam et re-

---

[1]) In editione Mitscherlichiana typis repetitae sunt.

[2]) In editione hymnorum p. 300 etc.

pellendam: in duas partes vir doctissimus hymnum dividit. A versu enim 305 novum carmen incipere contendit, quod a priore valde diversum sit, diversi auctoris, diversi consilii, fortasse etiam diversae aetatis (Prolegomena c. XIX. p. 77). Quod ut sentiat locis illis Pausaniae adducitur, quorum alii cum hymno, qualis exstat, congruunt, alius discrepat[1]). Cum vero qui cum nostro hymno conveniunt versus in posteriore parte, qui autem alius invenitur atque a Pausania laudatur, in priore parte exstet, hymni qualis ad nostram memoriam pervenit priorem partem illi scriptori ignotam fuisse contendit, praesertim cum earum rerum, quae ibi tractantur, Pausanias nusquam meminerit, sed semper Pamphi testimonio utatur. Duas igitur in partes totum carmen dirimit, quarum priorem antiquam, posteriorem ex reliquiis vel fragmentis hymni homerici vel pro homerico laudati a grammatico quodam conflatam et consutam esse vult; nam antiqua haec pars Matthiaeo esse non videtur. Quas vero rationes et causas affert, eae prorsus non sunt probandae, quod omnes ad sensum quendam pulchritudinis referuntur. Dicit enim hac in posteriore parte auctorem maiore festinatione usum multas res silentio praetermisisse, quas expresse commemorare deberet. At negligit vir doctissimus pulchritudinis leges Graecorum alias esse ac quas nos habemus, et qui ei videntur hiatus et festinationes orationis, eos carmen e populari usu ipso

---

[1]) Paus. II, 14, 3 = vv. 474—476. IV, 30, 3 = vv. 417—419. Paus. I, 38, 3 repugnat vv. 109 et 110.

ortum non dedecere. Discrepantiae autem, quae sunt inter hymnum homericum et Pausaniae narrationem aut ex scriptoris errore aut ex eo natae sunt, quod Pausanias — id quod Guttmannus in dissertatione sua de hymnorum homericorum historia critica (Gryphsw. 1869) contendit — ex aliquo de Atticorum rebus libro hausit, cuius auctor hymno in Cererem integriore quam nobis servatur usus est. At iisdem discrepantiis etiam Hermannus adducitur, ut suam opinionem de variis recensionibus etiam in hymnum in Cererem transferat (G. Hermanni epistola ad Ilgenium p. 99 etc). Matthiaei enim, Ilgeni aliorumque sententia, qui posteriorem partem plane ab alio auctore alioque tempore conditam esse volunt, bene refutata, in hoc carmine ad minimum duas recensiones confusas esse contendit, quarum, etsi utriusque vestigia habet codex Moscoviensis, maxime tamen, ut in reliquis hymnis, recentiorem sequatur. Quae vestigia Hermanno in eo cerni videntur, quod non nulli versus a Pausania laudati aliter sonant ac quo modo nunc legimus; quae diversitates ei uni sunt adminiculo, cum nulla aliorum codicum auctoritate adiuvetur. Ea de caussa quod apud Pausaniam (IV, 30. 3) versibus 417—420 laudatis versus 419 omissus est, eum antiquitus hoc in connexu non lectum, sed postea additum esse, versusque 108—110, ab illo plane neglectos, eodem modo a librario, qui suo more interpolatorem quam Homerum sequi maluisset, insertos esse censet. At quid his de diversitatibus statuendum sit, iam supra exposui, Matthiaei sententiam examinans; nam idem valet de Hermanni opinione. Maxime autem

ex huius sententia vestigia alterius recensionis eminent in vv. 473 et sequ., quorum tres apud Pausaniam leguntur (II, 14. 2) ita, ut unus plane desit et in versu 476 pro *καλά* — *πᾶσιν* inveniatur. Concludit igitur interpolatorem hunc locum ita conformasse:

ἦδ' ἄρ' ἔειπε θεμιστοπόλοις βασιλεῦσιν,
Τριπτολέμῳ τε, Πολυξείνῳ τ', ἐπὶ τοῖς δὲ Διοκλεῖ,
Εὐμόλπου τε βίῃ, Κελεῷ δ', ἡγήτορι λαῶν,
δρησμοσύνην δ' ἱερῶν, καὶ ἐπέφραδεν ὄργια καλά.

His igitur versibus et iis, quos pro homericis Pausanias affert, eam versuum formam natam esse putat, quae nunc exstat. Rectissime autem Baumeisterus ei obloquitur, quae in codice exstarent corrupta vocabula ab ipso librario Moscoviensi male reficta esse putans. Quod vero Pausanias versum 419 omittat neque respiciat vv. 108—110, huius rei caussam magis eius errori quam alteri recensioni tribuit. Praeterea Hermannus non nullas elocutiones ideo interpolatori tribuit, quia abhorreant a dictione homerica. Quam ob rem suspecta ei est vox *Δηώ*, quae occurrit vv. 47, 211, 492, et vox *πολυπότνια* v. 211; neque minus ei removendi esse videntur vv. 438—440, cum ex aliis caussis tum quod forma *κόρη* plane inusitata Homero exstet; et quod legimus v. 406 *ἐρῶ νημερτέα πάντα* mutandum esse in *ἀληθέα πάντ' ἀγορεύω* arbitratur, quod *ἐρῶ* non sit antiquum. At Hermannus non respexit, cum hymnus in Cererem plane alio tempore eoque recentiore compositus esset, non potuisse non irrepere novas formas novasque voces, plane alienas a vetustis, quamquam auctor etiam in hoc carmine componendo ex consueto

more dialecto ionica vel potius epica utebatur. Quod si non negligimus, his novis formis non offendimur neque adducimur, ut his in rebus interpolatorem grassatum esse arbitremur.

Eandem fere viam — ut taceam de Frankio, qui etiam hac in re Hermannum sequitur — etiam qui novissime hymnum edidit, Fr. Buechelerus ingressus est; censet enim uni poemati maiori minora inserta et adiuncta esse, ita ut re vera non de hymno, sed de hymnis agendum sit (Hymnus homericus in Cererem ed. Buechelerus p. 3).

Plane vero contraria his viris doctissimis Baumeisteri est sententia, qui hymno semper eandem formam quam nunc prae se ferat fuisse iudicat. Neque aliter Vossius censet, qui quamquam nusquam aperte dicit, quid ipse iudicet, tamen non dubitare videtur, quin vetustissima hymni forma nostram ad memoriam pervenerit.

Maxime autem mihi Prelleri sententia arridet, etsi eam non omnibus numeris probare possum. Dicit enim vir in rebus mythologicis valde versatus antiquissimum carmen variis additamentis amplificatum et auctum esse. At quo iure hoc et in universum et de singulis hymni partibus contendat, quaestione quae sequitur enucleabo.

§ 2.

De singulis versibus agitur.

Quoniam sententias virorum doctorum, qui adhuc de hoc hymno egerunt, in universum enumeravi, iam ad singulos versus considerandos me conferam, ut quid

vetusto carmini tribuendum, quid abiudicandum sit dilucidius perspici possit. Hoc autem usque tenendum est totum hymnum unum carmen esse, cuius singulae partes, paucis exceptis, ab eodem auctore et eodem tempore conditae et compositae sunt: quod, cum per totum opus eadem dictio idemque argumentum valeat, nos non iam fugiet. Si igitur singulos versus tractare mihi proposui, non est mihi demonstrandum unum carmen, quod non est consarcinatum ex compluribus aliis, ad nos pervenisse, sed quaeram, et utrum omnes partes antiquitus eodem in connexu fuerint, an non nullae postea additae sint, et num alicubi lacunae statuendae sint.

Carminis initium legentibus prima nobis offensio se praebet post v. 37, qui cum sequentibus non bene cohaeret. Poeta enim postquam antea narravit Proserpinam, cuius clamor cum rapta esset a nullo deo nisi ab Hecata et a Sole auditus esset, dum per aerem veheretur bono fuisse animo, pergit: resonabant autem cacumina montium marisque gurgites et mater audivit clamantem. Quae manifestae discrepantiae ut solvantur Hermannus, quem Frankius et Baumeisterus sequuntur, post versum 37 non nullos versus excidisse existimat, quibus haec fere continentur: „cum vero hiantem terram ingrederetur seque ad inferos deduci intellegeret, tum prorsus desperans multo quam antea clamavit vehementius: et resonaverunt montium cacumina et maris cavernae audiitque mater“. Sed quamquam haec coniectura probabilis est versuumque nexus bene restituitur,

tamen non sunt sublatae omnes difficultates. Et maxime quidem offendimur, quod narratio, quae est in versibus 31—37, reliquo hymno plane repugnat. Nam ubi hoc in carmine Proserpinae raptus commemoratur, plane contrarie narrationi Orphicae dea subito sub terram deducta esse neque longum per aera vel per terras iter confecisse narratur, priusquam ad inferos pervenit. Et in Argonauticis quidem legimus v. 1192 et sequentibus:

1192 . . . . . *ἐπ' ἐσχατίαις ἀκαλαῤῥόου Ὠκεανοῖο*
Λυγκεὺς ἐιςενόησεν (ὃ γὰρ τήλιστον ὄπωπεν)
νῆσον πευκήεσσαν ἰδ' εὔρεα δώματ' ἀνάσσης
Δήμητρος· πέρι δ' αὖτε μέγα νέφος ἐστεφάνωτο.
ὧν πέρι μῦθον ἅπαντ' ἔκλυες, Μουσαῖε δάϊφρον,
ὥς ποτε Φερσεφόνην τέρεν' ἄνθεα χερσὶ δρέπουσα
ἐξέπαφον συνόμαιμοι ἀν' εὐρύ τε καὶ μέγα ἄλσος.
αὐτὰρ ἔπειθ' ὥς οἱ Πλουτεὺς κυανότριχας ἵππους
ζευξάμενος κουρὴν ἐβιήσατο δαίμονος αἴσῃ
ἁρπάξας δ' ἔφερεν διὰ κύματος ἀτρυγέτοιο.

Ex his igitur versibus elucet Proserpinam prope Oceanum raptam per maria traductam esse. Quo vero ducta sit, ex Orphico hymno XVIII, qui in Plutonis honorem compositus est, cerni potest; locus enim quo descendit his verbis denotatur:

12. *ἁγνοπόλου Δημήτερος ὅς ποτε παῖδα*
νυμφεύσας λειμῶνος ἀποσπαδίην διὰ πόντου
τετρώρεις ἵπποισιν ὑπ' Ἀτθίδος ἤγαγες ἄντρον
δήμου Ἐλευσῖνος· τόθι περ πύλοι εἰς Ἀΐδαο.

Quibus ex locis Orphicis cum eluceat Proserpinam ab Orco raptam per auras usque ad terram Atticam curru

vectam esse, huius itineris nulla exstant vestigia in hymno homerico, sed, quod est simplicissimum, dea statim ad inferos venisse videtur. Etsi enim ex versibus 16 et 17 vel 80 et 81 nihil certi concludi potest, tamen si versum 430 et sequentes consideramus, quibus filia ipsa matri totam rem enarrat, eam extemplo per hiantem terram in Orci regna descendisse apparet. Et profecto si Proserpina alio loco deducta esset atque ubi rapta erat, cur auctor eius nullam faciat mentionem non bene intellegimus. At huic tam simplici narrationi repugnant versus 33, 34, 35, quibus virginem tam diu forti animo fuisse poeta dicit, quam terram et coelum et mare et solis lucem adspiceret. Hoc modo is narrare potuit, qui deam non confestim sed longo itinere perfecto sub terram descendisse putavit, cuius itineris nulla vestigia in hymno exstant. Accedit quod vv. 31 et 32 paene verbo tenus ad exemplar versuum 17 et 18 compositi sunt et versus 27 versum 21 repetit. Quam quidem repetitionem earundemque rerum retractationem non abhorrere ab indole poeseos epicae Baumeisterus contendit, praesertim cum poeta id, quod primum breviter indicaverit, deinde copiosius exponere et fusius persequi studeat. Facile autem omnes discrepantiae solvuntur, si versus 22—37 e connexu antiqui carminis secernimus eosque ab interpolatore quodam ex Orphica disciplina adiectos esse putamus, quod iam Matthiae et Prellerus (Dem. et Pers. p. 81) senserunt, etsi rationes, quas attulerunt, non possum probare, praesertim cum illas discrepantias, quae sunt inter versus 33—37 et caeteram narrationem non satis respiciant. Quo enim

iure Prellerus Hecatae mentionem improbet eamque plane ex toto hymno eici velit, non intellego; hoc autem loco et haec dea et Apollo ea de caussa commemorantur, ne quis miretur, cur postea (v. 52) ab his solis Ceres de raptu filiae certior fiat. Et quod Matthiae affert, narrationem ineptam esse, quod antea nemo quidem deorum et hominum clamorem audiverit et tamen mater eum audivisse dicatur, haec perversitas facile tolli potest, si illam Hermanni opinionem sequimur. Equidem igitur his solis caussis ut versus 22—37 eiciam adducor, primum quod haec narratio de raptu et de itinere Proserpinae repugnat contra ceteras, quae hoc in hymno exstant, deinde quod non nulli versus ad exemplar antecedentium compositi sunt, denique quod haec Hecatae et Solis mentio deducta est ex posteriore narratione. Removeamus igitur versus 22—37: optimus carminis connexus restituetur omnesque difficultates et discrepantiae sublevabuntur. Versus autem 21 antiquae carminis formae tribuendus est, quod et optime Proserpina Iovis auxilium implorat et quod ad eum versus interpolati se applicant; illo enim omisso cur versus 27, 28, 29 orti sint ignoramus, qui quasi Iovem incusent, quod nihil audivit.

At versus eliminatos optime inter se cohaerere etiam leviter inspicientem non fugiet. Sunt quidem qui ad illud *ὄφρα μέν* (33) oppositionem quandam requirant totumque locum mutilum esse contendant. Illi autem *ὄφρα μέν* respondet optime in v. 38 *τόφρα*, quae responsio etiam in carminibus homericis, veluti Il. 8, 66 occurrit, ubi videmus:

ὀφρα μὲν ἠὼς ἦν καὶ ἀέξετο ἱερὸν ἦμαρ
τόφρα μάλ᾽ ἀμφοτέρων βέλε᾽ ἥπτετο, πῖπτε δὲ λαός.

Interposita est enunciatio *ἔτι δ᾽ ἤλπετο - αἰειγενετάων,* ut etiam apud Homerum fieri solet, ita ut vertendum sit: quamdiu terram et coelum astris ornatum et mare et radios solis videbat — sperabat autem se visuram esse matrem et genera hominum deorumque — tamdiu spes valde (*μέγα*) animum erexit, quamquam moesta erat[1]).

Totus igitur locus, a posteris additamentis liberatus, hunc sensum praebet: Orcus raptam abduxit; clamavit autem virgo, Iovem patrem clara voce invocans (v. 21); resonaverunt montium cacumina marisque gurgites divino clamore (v. 37); clamantem autem mater audivit (v. 38). Neque quidquam desideramus, quod mentione dignum sit.

Postquam hoc modo et versuum connexum restituimus et magnas discrepantias sustulimus, in carmine considerando pergamus. At non ita multo post rursus haeremus, cum forma v. 58, quae in codice exstat, non possit integra esse. Dicit enim Hecata Cereri sese non vidisse, quis filiam eius rapuisset quamvis clamo-

---

[1]) Scribendum esse puto v. 37 pro *μέγαν* — *μέγα,* cum vox *μέγαν* quae in codice exstat, nullum praebeat sensum idoneum; nam dea non est animo magno i. e. erecto, sed potius animo demisso. *Μέγα* vero, quae vox adverbii locum tenet et ad *ἔθελγε* pertinet, et optime ferri et defendi potest; $\bar{\alpha}$ enim litera producta est propter ictum et propter positionem ante *νόον,* quod, cum olim a duabus literis $\overline{\gamma\nu}$ id incepisse ex verbis *γιγνώσκω, ἀμφιγνοέω* eluceat, brevem literam antecedentem producere potest.

rem audivisset: tum vero pergit: *σοὶ δ' ὦκα λέγω νημερτέα πάντα.* Quibus verbis dictis ambae deae ad Solem properant. Qua in narratione primum ignoramus, cur tam subito deae ad Solem properent; nulla caussa additur. Deinde mirum est Hecatam se nescire quis filiam rapuerit fateri et tamen se matri omnia vera enunciare dicere. His caussis adductus Hermannus pro *λέγω* — *λέγοι* scribendum esse unumque versum excidisse putavit, qui sic fere sonabat: *Ἠέλιος, ὃς πάντ' ἐφορᾷ καὶ πάντ' ἐπακούει.* Quae coniectura valde probabilis est neque a Vossio repellitur, qui, Hermanni vestigia premens, etsi bene intellegit Solem hoc loco lacunoso commemorandum esse, sic scribere vult: *Σοὶ δ' ὅς κε λέγοι νημερτέα πάντα.*

Qui tum sequuntur versus nullam in suspicionem incidunt et ab eodem auctore eodemque ordine compositi esse videntur. Attamen fuerunt qui nonnullos eicere aut lacunas statuere conati sint. Et primum quidem magna dissensio orta est de versibus 82 et 83. Hermannus enim vocem quam codex habet *γόον* in *χόλον* mutare vult, non modo quod haec vox aptior sit sed etiam quod verba *οὐδέ τί σε χρή* semper apud Homerum praegressam orationem repetant. At, quaeso, nonne optime Sol Cererem adhortatur, ut magnam lamentationem mittat? Nonne ipse fatetur se valde miserere Cereris de filia rapta querentis? Quid igitur aptius est quam ut moestam consoletur eiusque luctum lenire studeat? Neque minus intolerabilis est repetitio eiusdem vocis *χόλον*, quam si in codice ab initio invenissemus errore librarii natam mutandam esse diiudicaremus.

Quam vero caussam vir doctissimus affert, ut sententiam suam sustentet, eam non tanti esse momenti contendo. Optime enim confiteor plerisque illis locis homericis quos ille laudat, formula *οὐδέ τί σε χρή* repetitionem contineri eius quod antea cogitatum vel dictum est; at cum hymnus certe non eodem tempore conditus sit atque illa carmina, his in subtilitatibus maior libertas nos non offendet. Tenendum esse *γόον* neque in *χόλον* mutandum esse arbitror. Neque Schneidewinus audiendus est, qui verba quae sunt *οὐδέ τί σε χρὴ μὰψ αὔτως ἄπλητον ἔχειν χόλον* ab interpolare secundum Il. *T* 67 addita esse contendit. Utinam semper interpolatores tam sapienter et tam acute versus addiderint! Egregie enim conveniunt illa verba cum totius loci sensu, ita ut non possint desiderari. Nam quamvis Baumeisterus contendat non esse, cur sedare studeat Sol iram Cereris, qua non exarduerit nisi nuntio audito 91 *χωσαμένη δὴ ἔπειτα κελαινεφέϊ Κρονίωνι*, nonne natura innatum et insitum est, ut mater, cuius filia vi abducta est, non solum luctu propter raptam sed etiam ira in eum exardescat, qui eam rapuit? Nonne optime hanc iram Sol ita sedare studet, ut iratae indicet, quis sit eius gener et quem locum inter deos habeat. Qua de caussa neque luctus neque irae mentio removenda idemque versuum ordo retinendus est, qui in codice invenitur.

Inter versus qui sequuntur maxime de versibus 108—110 dissensio inter viros doctos orta est, cum id, quod hoc loco in codice exstat, non congruat cum eo, quod Pausanias nobis tradit. Ille enim I, 38 narrat a Pampho et ab Homero tres commemorari filias Celei,

quibus una cum Eumolpo mysteriorum cura tradita sit earumque nomina affert Pammeropae et Diogeneiae et Saisarae. Quae cum nomina nusquam inveniantur in hymno, qualis nunc exstat, homines docti varie has discrepantias solvere conati sunt; agmen ducit Ruhnkenius, qui hanc nominum mentionem non ad versus 109 et 110, sed ad vers. 475 pertinere ibique eam excidisse arbitratur. Sequitur hanc sententiam Vossius, qui etiam post v. 476 hos versus interserit, voce quae ibi legitur *πᾶσι* in *παισίν* mutata:

πρεσβυτέρῃ Κελεοῖο περίφρονι Διογενείῃ
Παμμερόπῃ τ' ἐρατῇ καὶ Σαισάρᾳ ἔξοχα καλῇ.

At mirum est cur Ceres has filias Celei sacra docuerit, cum eis nulla essent de dea merita; accedit quod nusquam in hymno elucet septem fuisse filias regi Eleusiniorum. Aliam igitur viam Hermannus ingressus est; dicit enim tres hos versus, quibus nomina virginum contineantur, ab interpolatore quodam sic conformatos esse, „qui cum sequeretur alius narrationis fidem pro nominibus, quae ab Homero scripta videbat, haec posuit, quae nunc leguntur“. Versum autem 107 sic scriptum fuisse censet:

τρεῖς ὡσεί τε θεαί, κουρήϊον ἄνθος ἔχουσαι.

Et idem interpolator etiam v. 146 *Καλλιδίκη* pro Pammeropa vel Saisara posuit.

Ut vero in universa tractione hymni, ita etiam his in rebus singulis Frankius (Homeri carmina vol. III carmina minora. Lips. 1828) Hermanni partes sequitur et tres istos versus postea additos esse existimat. At tamen a magistro suo differt quod non in interpola-

torem, sed in librarium culpam confert. Contendit enim ab initio tres tantum filias auctori notas fuisse, cum v. 283 et sequentibus tres modo filiae commemorentur, quae Demophontis clamoribus accitae hoc illud agunt: quae nomina cum in libro, unde codex M. exscriptus est, temporis edacitate deleta essent, librarium suo Marte restituere conatum esse et etiam in v. 146 Callidicae nomen pro eo, quod ibi invenisset, inseruisse. At, quaeso, nonne multo est veri similius id nomen, quod in v. 146 integrum exstabat, in locum lacunosum et corruptum translatum esse? An etiam hic mira sane fortuna excidit? Et si etiam hic omissum erat, cur librarius haec nomina adhibuit, quae nusquam alibi leguntur, cum a Pausania sumere posset? Homo enim indoctus illos versus non composuit. Tota igitur argumentatio Franki subtilior est, quam quae vera esse possit, neque ullum pondus posteriori illi mentioni trium filiarum tribuendum est. Ea de caussa recte Baumeisterus iudicat, qui illum nuntium ad Pausaniae errorem revocat; at negligit vir doctissimus et omnes, qui adhuc hac de re disseruerunt, id quod a Pausania narratur, non posse in hymno in Cererem homerico inventum esse. Si enim illam narrationem (I, 38, 3) attente legimus, nos non fugit fabulam illam antiquam de bello Eleusinio enarrari, quod Eumolpo duce gestum ita finitum est, ut Eleusinii sub ditionem Atheniensium venirent, suos autem sacros ritus tenerent. Quorum curam Eumolpus filiaeque Celei susceperunt. In hymno autem homerico illi nondum hoc munus tam sublime tribuitur, quod ex recentiore fabula ei

eiusque stirpi tribuitur, sed regulus modo est inter alios pares (154 et 474), qui ne primo quidem loco commemoratur. Quod vero secundum descriptionem Pausaniae ille rex solus cum Celei filiabus sacra facit, haec narratio ex postera fabula Atheniensium manavit, quae contra vetustam cum in aliis rebus tum etiam in hac repugnat. Et ex posteriore quidem fabula illa nomina his puellis data sunt, quae etiam Pamphus recepit. Quod autem Pausanias ab utroque poeta haec nomina afferri tradit, id ex eo manat, quod omnino Pamphum antiquiorem esse Homero iudicat, ita ut hic ex illius norma carmina composuisse ei videatur.

At pergamus in carmine considerando; narratio quae sequitur nullam praebet offensionem donec ad versus 150—155 pervenimus, quibus vitium aliquod subesse facile intellegimus. Quamvis enim Baumeisterus (ad hunc locum) iudicaverit genitivos *Τριπτολέμου* et *Διόκλου* et ceteros ad verba *οἷσιν ἔπεστι μέγα κράτος* referendos esse, tamquam si poeta dixisset *τῶν ἔστι κράτος*, tamen iustus ordo mihi videtur turbatus esse, praesertim cum res quaedam plane silentio praetereatur, quae inprimis mentione digna esse videtur. Namque cum antea (v. 132) Ceres narraverit se nescire quam in terram venerit et qui homines eam habitent, certe exspectamus, ut Callidice, quae deam adloquitur, quod sit nomen terrae et urbis enarret, priusquam regum nomina indicat. At nulla fit mentio urbis neque in oratione Callidicae neque in ulla parte carminis: nusquam dea certior fit, quam urbem ingressa sit.

Quibus rebus adductus in virginis oratione unum

vel complures versus excidisse puto, quibus urbis nomen et condicio indicatur. Accedit quod totus versuum connexus ita depravatus est, ut vix possit sanari. Magnam enim difficultatem illi genitivi (153—155) praebent, qui nullo modo explicari possunt; omnia autem conamina adhuc ab interpretibus instituta non possunt probari, cum aut codicis lectioni non conveniant, quae etiam locis valde turbatis non potest negligi, aut si haec quidem tenetur, nisi durissimis structuris adhibitis nullum praebeant sensum idoneum. Et Baumeisterus ipse fatetur se nullum habere cognitum exemplum structurae tam contortae et flexuosae. At quamvis totus hic locus depravatus sit, tamen non est Matthiaei sententia probanda, qui hos versus a grammatico quodam eruditionem suam ostendere cupiente adiectos esse putat. Fulciuntur enim Pausaniae testimonio (I, 38, 3), unde elucet eos iam antiquissimis temporibus exstitisse. Quod hic Eumolpum non *ἀμύμονα*, sed *ἀγήνορα* nominat, id nos non offendet; nam facile hac in re Pausanias errare potuit, cum in versu qui subsequitur, *ἀγήνορα* exstet.

Nunc vero ad maiorem et difficiliorem quaestionem pervenimus: contendit Prellerus (Dem. et Perseph. p. 94 etc.) vv. 190—211 non tribuendos esse carmini antiquissimo, sed pro spuriis habendos esse, primum quod mores sacri ad originem revocentur, deinde quod simplex orationis cursus interpelletur, denique quod usus salutationis *χαῖρε* (v. 212) plane absurdus sit, cum ex versibus antecedentibus eluceat colloquium iam fuisse inter Cererem et Metaniram. Contra hanc opinionem

Baumeisterus (ad vers. 190) versus illos tueri rationesque Prelleri labefactare studet. Dicit enim, cum poetae propositum sit, ut per narrationem origines sacrorum quasi disponeret et enuclearet, cum morem cyceonis bibendi, quo modo natus esset, exponeret, nos non offendi debere. Iam supra autem exposui huius carminis consilium non in eo positum esse, ut sacrorum institutio describeretur, cum illa brevius commemoraretur multisque aliis narrationibus, praecipue quae ad raptum Proserpinae pertinent, obscuraretur. Accedit quod cavillationes illae, quae versibus 202 et ceteris attinguntur, ad thesmophoria pertinent; Apollodorus enim (I, 5, 1, § 3) tradit morem inter festos dies iocandi et ludendi ex illis facetiis ortum esse, quibus Iamba deam moestam hilararet. At ne quis dicat primitus quidem solennibus deae mysticae has facetias proprias fuisse, postea vero, cum ambae commiscerentur, etiam ad legiferam translatas esse: huic conamini nomen quod est Iambe ipsum repugnat. Notus enim est mos ille Graecorum, ut omnium rerum origo ad unum hominem quasi ad auctorem referatur. Idem quoque de Iamba valet: nam ad eam iamborum generis origo revocatur, ita ut hoc versuum genus ab illa nomen duxisse dicatur. Et re vera qui temporibus posterioribus de arte metrica agunt, ii iambicis versibus nomen esse ob ancillam quandam Iamben, quae iis prima usa sit, tradunt (Confer locos quos p. 8. de hymni traditione disserens attuli). Cum vero hi versus ab Archilocho, ne dicam inventi, sed potius exculti et in lucem editi sint, Parum insulam illius versuum generis

patriam fuisse elucet, ubi hic poeta vixit. Quod autem hac in insula Ceres legifera, non mystica, colebatur, certe ad deam legiferam illae cavellationes pertinuerunt, unde postea ad deam mysticam translatae sunt. Hoc igitur modo factum est, ut postquam Atheniensium opiniones, qui ut omnes Iones deam legiferam, sociam frugiferae, colebant, cum iis quae ab initio Eleusine exstabant, confusae sunt, Iambe deae mysticae adiungeretur: quod non prius quam Eleusiniorum urbs ditioni Atheniensium subacta erat, factum esse potest. Cum vero nulla in hymno vestigia inveniantur, quibus Eleusina urbem iam ab Atheniensibus subactam esse apparet, haec Iambae mentio posteriore tempore quam quo hymnus natus est, interposita esse videtur.

Neque ceterae rationes, quibus Baumeisterus Prelleri sententiam refutare conatur, probandae sunt. Et primum quidem contendit usum salutationis χαῖρε (v. 212) nos non offendere, cum Homerus ipse ea utatur, ubi re aliqua graviore peracta quasi gratulatio quaedam adiungatur, et non nullos locos affert, quibus suam sententiam sustentet. Quos si attentius perspexerimus, nullam eis vim inesse facile intellegemus. Nam quod Neptunus post concubitum Tyronem adloquens dicit: (λ 248)

χαῖρε, γύναι, φιλότητι

id non est intellegendum: salve, mulier, sed: gaude, mulier, de concubitu. Eodem modo Ψ 19. 179 Achilles ad Patroclum mortuum non dicit: salve, sed: gaude mihi, quia nunc perficiam, quae tibi promisi. Eadem formula persaepe a propinantibus usurpatur, ut σ 122,

v. 199, quibus locis nulla inest gratulatio propter rem beate perfectam, quae in alio exemplo a Baumeistero allato negari non posse videtur (ϑ 413). At hic Ulixes non ipse gratulatur, sed gratulanti respondet eiusque oratio hoc modo intellegenda est: utinam tibi omnia bene succedant. Si autem nostrum locum consideramus, nullam huiusmodi significationem subesse facile intellegimus neque dubitare possumus, quin *χαῖρε* formula sit salutationis, quae in carminibus homericis saepissime invenitur: salutat Metanira Cererem ingredientem. Neque versibus, qui subsequuntur, ea quae antea facta sunt respiciuntur, sed Metanira consolatur Cererem, quae, quamquam anus similis est, tamen summo loco nata esse videtur, et quod ei munus suscipiendum sit exponit. Cum igitur *χαῖρε* v. 213 aperta sit salutationis formula, cur tamen nonnulli versus antecedant (vv. 190 et cet.), e quibus colloquium inter ambas illas feminas habitum esse elucet, valde miramur neque erramus, si totam illam narrationem spuriam esse censemus. Accedit quod illis versibus totius carminis ordo iustus turbatur.

Postquam enim poeta antea summa cum simplicitate res gestas enarravit, summa cum copia verborum Iambae cavillationes et cyceonis potio explicantur. At maiore pondere est ad versus removendos, quod dea ipsa naturam suam detegit: quae narratio contra id repugnat, quod in versibus sequentibus invenitur. Metanira enim, quae secundum versum 190 dea intrante pudore et admiratione et pallido horrore affecta esse dicitur, ex versu 213 et sequentibus nequaquam deam a se receptam esse sentit, sed vehementer perterretur et per-

turbatur, cum postea (v. 268 et cet.) Ceres ipsa nomen naturamque suam ostendat.

Omnes hae difficultates facile tolluntur iustusque narrationis ordo restituitur, si versibus 190—211 omissis versum 189 cum versu 212 coniungimus: filiae cum dea ad matrem perveniunt, quae de eius adventu iam certior facta filium sub sinu gestans iuxta ianuae postem consedit; et dea erecto capite aedes regias intrat foresque splendore divino implet (v. 189). Tum colloquium inter eas exorditur et Metanira hospitem salutat (212 et cet.), quae ei non inferiore loco nata esse videtur. Omnia igitur bene inter se cohaerent neque quidquam desideramus, quod ad totam rem explicandam necessarium sit.

At in versibus ipsis postea additis nonnulli inveniuntur, qui non inserti sunt a primo interpolatore. Nam iam Hermanno, qui totum locum nondum pro spurio habuit, versus 202—205 suspecti sunt, in quibus non sit aut Homerica aut omnino antiqua oratio; deinde ob *μίν* sequentibus epithetis, quae sine nomine, etiamsi *χλεύησιν* scriberetur, displicitura essent; tum ob tertium versum, qui minus elegans sit; denique ob vocabulum *ὀγαῖς*. (Epistola ad Ilg. p. 105.) Quod vero his versibus eiectis sententiae quasi hiatus oriretur neque tamen verba antiqua esse possent, Frankius a grammatico quodam, qui in codice suo nihil inveniret nisi haec:

πρίν γ᾽ ὅτε δὴ χλεύης μιν Ἰάμβη κέδν᾽ εἰδυῖα
πολλὰ παρασκώπτουσ᾽ ἐτρέψατο
μειδῆσαι γελάσαι τε
ἣ δή οἱ καὶ ἔπειτα

reliqua addita esse iudicavit. Quae sententia probari potest et ab omnibus probata est, cum hoc modo et versuum connexus servetur et quomodo recentioris usus voces hic irrepserint optime eluceat.

Inter versus qui sequuntur maxime in disceptionem vocati sunt vv. 265—267, qui cum in codice non satis integri servati sint, ut quisque sanat et explicat, aut iustum ordinem aut lacunam quandam indicant. Legimus enim:

ὡρῇσιν δ' ἄρα τῶγε περιπλομένων ἐνιαυτῶν
παῖδες Ἐλευσινίων πόλεμον καὶ φύλοπιν αἰνὴν
αἰὲν ἐν ἀλλήλοισι συναυξησουσ' ἤματα πάντα.

Cum in postremo versu verbum quod est *συναυξησουσ'* nullo modo ferri possit, Ilgenius *συνάξουσ'* coniecit ex locis *B* 381, *Ξ* 448. Praeterea pro *τῶγε* Fonteinius corrigere vult *τοῦγε*, quam emendationem, etsi a viris doctis probata est, in textum recipere valde dubito, cum *τῷγε*, cuius iota subscriptum ut aliis quoque in locis excidit, bene ferri potest. At quaeramus, quomodo locus ille intellegendus sit et breviter comprehendamus, quid versibus qui antecedunt contineatur. Dea igitur de curiositate Metanira irata Demophonte ad humum deiecto haec fere dicit: Imprudentes estis, homines, nec praesagientes aut bonam aut malam fortunam. Nam etiam tu stultitia tua irreparabile damnum cepisti. Testis enim est Stygis aqua: filium tuum immortalem et senectutis expertem redditura et aeterno honore ornatura eram; nunc non potest fieri, ut mortem

et senectutem fugiat (262)[1]). At tamen immortalis honor eum sequetur, quod nostris genibus exceptus est et in nostris ulnis dormivit. Horis autem annorum praeterlabentium ei filii Eleusiniorum semper inter se per omne aevum bellum diramque pugnam concitabunt. Tum pergit: sum autem Ceres honoribus ornata, quae et deis et mortalibus summum emolumentum et gaudium sum. Quam si deae orationem attente respicimus, primis quidem versibus eam lamentari, quod consilium suum ad irritum ceciderit, tum vero nihilosecius se Demophonti maximos honores tributuram esse polliceri nos non fugit. At quomodo intellegendi sunt versus 265—267? Certe quidem exspectamus, ut dea pergat in honoribus enumerandis, quorum Demophon particeps erit, praesertim cum (v. 268) nomine suaque natura detecta verbis maiorem vim tribuat. Qui sententiarum ordo iustus plane turbatur, si illud *πόλεμον καὶ φύλοπιν αἰνὴν συνάγειν* ad bellum et pugnas referimus. Qua de caussa Hermannus, cui haec verba ad intestina bella Eleusiniorum pertinere videntur, cum haec commemoratio nimis brevis sit et totius loci rationi repugnet, Matthiaei sententia refutata, qui his tribus versibus eiectis v. 264 cum v. 268 coniungit, post v. 267 lacunae signum ponit, quod omnes dubitationes solvantur, si, quod praecedentia plane flagitent, aliquid excidisse putamus, quo mors Demophontis praedicatur. Cui sen-

---

[1]) In versu 262 illud *θάνατον καὶ κῆρας ἀλύξαι* in *γῆρας* mutandum est; spectat hic locus ad vers. 242 *ποίησεν ἀγήρων τ' ἀθάνατόν τε,* quo eadem sententia continetur.

tentiae Frankius ita adsentitur, ut quae excidissent, iis non mortem sed gloriam Demophontis praedictam esse censeat, cum mors iam versu 262 commemoretur neque quidquam insuper desideremus. Cum vero quae fuerint illa bella Eleusinia neque Hermannus neque Frankius explicare possint, nec ulla mentio certa belli civilis inter Eleusinios gesti apud veteres scriptores exstet, Baumeisterus levissima, ut ei videtur, mutatione facta pro *ἀλλήλοισι* — *Ἀθηναίοισι* scribit et memoriam belli illius inter Athenienses et Eleusinios gesti revocari putat; deinde autem etiam si nonnulli versus deesse videntur, quibus Demophontis gloria illo bello parta narretur. At hanc sententiam iam ea de caussa non possumus probare, quod omnes scriptores, qui hac de re agunt, Eleusiniorum ducem fuisse Eumolpum Thracem consentiunt. Accedit quod illud *τοῦγε*, quo ea sustentatur, coniectura ortum est, cum in codice *τῷγε*, cuius iota subscriptum secundum codicis Mosc. proprietatem omissum est, sine ullo dubio inveniatur. Maxime autem me offendit, quod hic bellum illud Eleusiniis tam fatale et triste praedicitur, quo Eleusis urbs libertate privata in ditionem Atheniensium redacta est. Cuius rei tristissimae mentio non congruit cum antecedentibus deae verbis. Antea enim dea pollicetur se Demophontem omnibus bonis summisque honoribus ornaturam esse; tum autem bellum illud infelix commemorat, quo certe illius gloria, si id re vera gessisset, non aucta esset. Quae difficultates omnes sublevantur, si deae verba ad agones referimus, quos in illius honorem posteris temporibus actos esse

ex testimoniis antiquis nec neglegendis elucet. Hesychius enim sub voce *βαλλητύς* haec affert: *Βαλλητὺς ἑορτὴ Ἀθήνησιν, ἐπὶ Δημοφῶντι τῷ Κελεοῦ ἀγομένη.* Quod haec certamina Athenis agi dicit, id sine dubio ex errore ortum est iisque corrigitur, quae apud Athenaeum (IX p. 406 D) inveniuntur; tradit enim hic vir Eleusine ludos celebrari quorum nomen sit *βαλλητύς.* Et ad haec certamina sine ullo dubio versus spectant, quos in hymno legimus. Quam si sententiam tenemus, optimus versuum connexus restituitur neque cogimur, ut aut codicis lectionem mutemus aut lacunam statuamus. Dea igitur dicit sempiternam gloriam filium secuturam esse et pergit deinde: ei filii Eleusiniorum in omne tempus certamina solennia agent. Et ut id, quod dixit, plus valeat, nomen suum et naturam detegit. Quae vaticinatio paene verbotenus eventu comprobata est; nam etiam temporibus posteris ibi ex Athenaei testimonio in illius honorem certamina acta sunt. At ne quis offendatur, quod illud *πόλεμον καὶ φύλοπιν αἰνὴν συνάγειν* durius de his agonibus dicatur, similia certamina commemorasse sufficit, quae Lobeckius (Aglaophamus p. 679) enumerat.

In eadem Cereris oratione Prellerus vv. 273 et 274 eliminare vult, quod ad sacrorum originem spectant. At nihilo secius tenendi sunt; quamvis enim tantum absit, ut poeta in illis describendis summum consilium posuerit, ut raptum Proserpinae secundum fabulam Eleusiniam narraverit, tamen non potuit plane silentio praetermittere, quid dea, cum filiam quaereret, ibi gessisset. Cum igitur ipse templi exstructionem narret,

(v. 295 et cet.) cur eum orgiorum institutionem neglexisse putas, quae cum templo et urbe arctissime cohaerent? Quae quod breviter modo attingitur, nos non offendit, cum uberiorem narrationem ab hymni consilio abhorruisse censeamus.

Qui nunc sequuntur versus nullam nobis praebent maiorem offensionem, cum omnia inter se optime cohaereant. Attamen non nulli a viris doctis in suspicionem vocati sunt, quod aut manifesto a grammaticis postea additi esse aut cum antecedentibus male cohaerere videntur. Et omnes quidem interpretes consentiunt ante v. 406 alium excidisse, cum Cereris quaestio abruptior et inepta sit propter brevitatem. Sed totus ille locus in codice ita mutilatus est, ut ad certam opinionem non possimus pervenire.

Maior autem dissensio orta est de versu 424

Παλλάς τ᾽ ἐγρεμάχη καὶ Ἄρτεμις ἰοχέαιρα

quem alii eicere alii tenere student. Negarunt enim Matthiae et Hermannus eum pristino carmini tribuendum esse, cum propter numeros non satis elegantes, tum quod haec dearum mentio repugnet versui quinto, ubi cum filiabus Oceani virgo lusisse traditur. Contra vero Baumeisterus hunc versum tuetur et caussas, quas uterque attulit, diminuere studet, praesertim cum in fabula Attica traditum sit Minervam et Dianam flores legenti Proserpinae adfuisse. At timeo, ne vir doctissimus debiliore adminiculo nixus sit. Scriptores enim, qui hac de re agunt et qui ab eo commemorantur, omnes ex aliis fontibus hauserunt, non ex fabula Attica. Et Diodorus quidem (V, 3) et Valerius Flaccus

(V, 345) et Statius (Ach. II, 150) et Claudianus (de raptu Proserpinae I, 227) virginem in Sicilia raptam esse narrant, ita ut iam ea de caussa nulla sint auctoritate, ut deae mentio, quae hoc in versu fit, defendatur. Nullam vero rationem inter fabulam Orphicam, qualis in Argonauticis 1190 etc. exstat, et hymnum homericum interesse sponte elucet, cum etiam aliis in rebus dissentiant. Maior quidem vis narrationi Pausaniae inesse videtur (VIII, 31), qui Megalopoli, in urbe Arcadiae, inventa Cereris et Proserpinae simulacra describens ante ea minores virginum statuas positas esse dicit, quas alii Damophontis filias esse, alii Minervam et Dianam, cum virgine flores legentes, contendant. Sin vero illum locum adcuratius consideramus, priori sententiae maiorem fidem tribuendam esse neminem fugit. Dicit enim Pausanias ipse: *εἶναι δὲ θυγατέρες τοῦ Δαμοφῶντος λέγονται· τοῖς δὲ ἐπανάγουσιν ἐς τὸ θειότερον δοκεῖ σφᾶς Ἀθηνᾶν τε εἶναι καὶ Ἄρτεμιν τὰ ἄνθη μετὰ τῆς Περσεφόνης συλλεγούσας.* Ex duabus his sententiis ea, quae posteriore loco exstat, minoris aestimanda est, cum mystagogorum sententia sit, qui maioris doctrinae participes hanc interpretationem aliis ex fabulis hauserunt nec fabulam tradunt, ut apud incolas huius urbis propagata est. Neque id quod Euripides (Helena 1301—1353, inprimis vv. 1315 et 1316) de raptu Proserpinae et de Cereris luctu narrat, tantam habet vim, ut dearum mentio in hymno interposita sustentari possit. Nam hic poeta, qui etiam in multis aliis fabulis enarrandis antiquam famam non iam respicit et recentiorem sequitur, praecipue eam, quae ab

Orphicis traditur, etiam de illis rebus disserens tam copiose eas exornavit, ut vix diiudicare possimus, quid vindicandum sit antiquiori fabulae, quid recentiori. Nulla igitur ei auctoritas tribui potest neque quidquam valet haec mentio ad hymni narrationem sustentandam, quae eo magis suspecta est, quod hae deae in initio carminis plane silentio praetermittuntur, hoc autem loco filiabus Oceani adfiguntur, metro non satis integro et nominibus inusitatis adhibitis.

Idem quoque de versu 440 valet. Nam quamquam contra Mitscherlichium, Hermannum, Prellerum versus 438 et 439 tueor, quod mentio Hecatae, illis suspecta, mihi necessaria esse videtur, cum dea, quae prima omnium deorum et dearum Cereri moestae obviam facta est, non absurde matri de reditu filiae gratuletur, tamen v. 440 nimiam redolet doctrinam, quae plane aliena est a simplicitate totius carminis, ita ut non dubitemus hunc versum antiquo auctori non vindicare; neque Frankius audiendus est, qui eum ideo defendit, quod eo ostendatur, quo modo Hecata, cui antiquissimis temporibus nihil commune fuerat cum Cerere et Proserpina, in illarum coniunctionem venerit; quae sententia eo quod supra de hymni consilio attuli refutatur et repellitur.

Neque minus magna dissensio orta est de versibus 474—489, ex quibus alii alios eliminant, cum de versu 477 eiciendo omnes consentiant. Et Prellerus quidem vv. 474—482 seclusit, quod doxologia in his versibus iisdem fere verbis vv. 486 et seq. repetatur et ea aetate addita esse videatur, qua sacrorum religio

iam aboleverit. At vide, qualis sententiarum hiatus nascatur his versibus eiectis! Optime autem et Prelleri et Hermanni opinionem, qui vv. 480—482 pro spuriis habet, Baumeisterus refutat, qui duos hos locos ita secernit, ut priore (480—482) beata sors praedicatur, quae initiatis in Orco post mortem maneat, posteriore felicitas, quam omnes e cultu magnarum dearum percipiunt, describatur. Quod si tenemus, neutra descriptio supervacanea est neque ut alteram removeamus adducimur.

Difficilius autem est quaerere utrum totius carminis clausula ab hymni auctore ipso an a rhapsodo quodam adserta sit, cum utraque ratio aptis caussis defendi possit. Attamen si respicimus ex consueto more carmini decantato adseri solitam esse clausulam, ut transitio fieret ad alium cantum, magis in hanc posteriorem sententiam adducimur, praesertim cum forma quae est *ᾠδή* (v. 494) et epitheta coacervata (v. 492) aetatem recentiorem prodant.

§ 3.

Quid de totius carminis compositione statuendum sit.

Singulis versibus adcuratius consideratis restat ut breviter exponam, quid de hymni compositione inde concludendum sit. Est igitur hymnus in Cererem homericus carmen in se ipsum conclusum et ab uno auctore eodemque tempore conditum, quo raptus Proserpinae ex vulgari opinione Eleusiniorum describitur. Ut vero omnia carmina, quae ex antiquissimis tempo-

ribus ad nostram memoriam pervenerunt, ita etiam hic hymnus varie mutatus est versibus sive additis sive omissis. Cum enim carmen non ab initio literis mandatum, sed ut omnia carmina epica per ora hominum propagatum sit, fieri non potuit quin multa additamenta irreperent, aliis ex fabulis, quibus eaedem res retractabantur, desumpta, quae a prima hymni forma et consilio plane aliena erant. Hoc modo additi sunt versus 22—37, 190—211, 424, 440, 477, qui ex fabulis, quae propius ad Orphicas narrationes accedunt, manaverunt; haec autem additamenta nihilo secius iam antiquissimis temporibus orta esse et ex dictione elucet et ex locis illis, quos supra (pag. 6) de versibus 202—211 et de versu 440 laudavi. Idem quoque de versu 205 valet, nisi a librario additus est, qui suam doctrinam monstrare volebat. Praeter haec additamenta pristina hymni forma varie depravata est versibus librariorum culpa omissis. Manifestae enim lacunae statuendae sunt post versus 58 et 403, cum post versus 38 et 268 nihil desit. Praeterea post v. 235 non nulla verba exciderunt, quorum sedem non possumus indicare.

His quaestionibus institutis nos non iam fugiet, quo iure novissimus hymni editor, Fr. Buecheler, eum inscripserit *ὕμνοι εἰς Δήμητραν* secundum codicis titulum, cui indoles carminis et aliorum similitudo hymnorum et Athenaei de hymno in Apollinem testimonium patrocinetur (Praef. p. 3).

Sed indoles totius carminis huic conamini plane repugnat neque ullum praesidium ex aliorum similitudine aut ex Athenaei testimonio deduci potest. Nam

hymnus in Cererem longe distat a forma hymni in Mercurium, qui re vera ex compluribus carminibus conflatus est. Neque ulla ratio interest inter hymnum in Cererem et hymnos in Apollinem, qui duo carmina sunt, quorum prius finitur versu 179. Accedit quod illud Athenaei Pausaniae testimonio prorsus exaequatur, qui (IV, 30) haec fere dicit: *ἐποιήσατο δὲ* (scl. *Ὅμηρος*) *ἐν ὕμνῳ τῷ ἐς τὴν Δήμητρα.*

Praeterea si Buechelerus titulo, quem codex M praebet, nititur, ut sententiam suam sustentet, caveat ne debiliore adminiculo utatur. Nam in hoc libro omnes hymni hanc inscriptionem prae se ferunt: *τοῦ αὐτοῦ Ὁμήρου ὕμνοι εἰς* — vel *τοῦ αὐτοῦ ὕμνοι εἰς,* quae inscriptio etiam invenitur in hymno in Venerem, quem omnes homines docti unum carmen iudicant; in ceteris autem libris manu scriptis nihil aliud exstat quam: *εἰς Ἀπόλλωνα.* At summi est momenti quod codex Laurentianus, a Schneidewinio plurimi aestimatus[1]), et codex Ambrosianus in primo hymno in Apollinem praebent: *Ὁμήρου ὕμνος εἰς Ἀπόλλωνα;* codex Ambr. post *ὕμνος* interpungit. Videmus igitur hac in re codici Moscoviensi non esse tribuendam summam auctoritatem, praesertim cum is liber, qui proxime inter omnes ad archetypum accedit, plane alia ratione utatur.

Neque silentio praetereundum est, quod codex Ambr. post vocem *ὕμνος* interpungit, cum inde concludere possimus in archetypo duas fuisse inscriptiones, quarum altera hymnum homericum designavit, altera eum

---

[1]) cf. Baumeisteri ed. maior. p. 97.

deum, cuius in honorem carmen conditum erat. Et has quidem duas inscriptiones hic codex et Laurentianus servaverunt, alii autem altera et ea singulari utuntur. Si igitur in codice Mosc. alius inscribendi modus invenitur, concludi non potest hunc modum rectissimum et vetustae carminis formae adcommodatissimum esse; sed certe is ex licentia librarii ortus est.

VITA.

Guilelmus Gustavus Gemſs natus sum Glogoviae anni h. s. XLVI mensis Augusti die XX, patre Guilelmo mercatore, matre Amalia e gente Roehriana, quam ante hos duodecim menses morte mihi ereptam esse magnopere doleo. Fidem confiteor evangelicam. Ex duodecimo aetatis anno artibus liberalibus instructus patriae urbis in gymnasio evangelicorum, quod Adolpho Klixio rectore tum valde florebat, auctumno h. s. anni LXV universitatem adii Berolinensem, cuius per tria semestria civis prodocentes audivi Boeckhium, Hauptium, Kirchhoffium, Muellenhoffium. Trendelenburgium.

Inde vere anni LXVII Gottingam me contuli ibique scholas frequentavi E. Curti, v. Leutschi, Guil. Muelleri, Sauppi; per unum semestre exercitationibus proseminarii philologici et societatis theodiscae interfui. Vere autem anni LXVIII Berolinum reversus per tria semestria hos viros disserentes audivi: Bonitzium, Droysenium, Hauptium, Huebnerium, Kiepertium, Kirchhoffium, Messnerium, Muellenhoffium, Steinthalium, Trendelenburgium; per idem tempus socius fui exercitationum philosophicarum et theodiscarum, quas Trendelenburgius et Muellenhoffius institue-

bant. Quibus omnibus viris optime de me meritis hodie semperque gratias ago, inprimis autem Kirchhoffio, qui etiam ad privatissimas suas scholas liberaliter me admisit. Per unum deinde annum Berolini commoratus a mense Octobri anni LXX discipulos scholae Berolinensis, quae vocatur „Luisenstaedtische Gewerbeschule", et mense Ianiario anni LXXI examinibus pro facultate docendi absolutis a mense Aprili discipulos gymnasii regii Guilelmi erudivi; auctumno eiusdem anni in locum praeceptoris ordinarii promotus sum.